


idem semper angulus inclinationis, prout ratio illorū scrupulo-  
rum exigit, in quo sese fundant. Quin etiā manente eodē angu-  
lo non poterit intelligi, quomodo hæc latitudo illorū siderū à  
sectiōe cōmuni resileat in eandē repēte latitudinē, quā pridē re-  
liquerit, nisi dicas id fieri per modū refractionis luminū, ut in  
opticis. Sed hic de motu agimus, qui instantaneus nō est, sed ip-  
si suapte natura cōmensurabilis. Oportet igitur fateri libratio-  
nem illis inesse, quæ faciat partes circuli permutari in diuersa,  
qualem exposuimus. Quam etiam sequi necesse est, ut illorū nu-  
meri per v. partē unius gradus in Mercurio differant. Quo mi-  
nus mirū uideri debet, si secundū nostrā quoq; hypothesim ua-  
riabilis est, nec adeo simplex hæc latitudo, non tamē apparentē  
producēs errorē, quæ in omnibus differētis sic potest discerni.

Esto em̄ in subiecto plano ad signiferū recto  
cōmunis sectio, in qua sit *A* cētrū terræ, *B* cen-  
trū orbis, in maxima minimaue terræ distan-  
tia, qui sit *CDE*, tanq; per polos ipsius orbis in-  
clinati. Et quoniā in apogæo & perigæo, hoc  
est, in *AB* existente centro orbis, stella existit  
in deuiatione maxima ubicunq; fuerit, secun-  
dum circulum parallelū orbi: estq; *DF* dimeti-  
ens paralleli ad *CBE*, dimetientē orbis, quorū  
communes ponuntur sectiones rectorū ad *CD*  
*F* planū. Secet autē bifariā *DF* in *G*, eritq; ipsum  
*G* centrū paralleli, & cōiungātur *BG*, *AG*, *AD*, &  
*AF*, ponamusq; sub *BAG* angulū qui cōprehen-  
dat sextantē unius gradus in summa deuiatio-  
ne Veneris. In trianguli igitur *ABG*, angulo re-  
cto *B*, habemus rationem laterum *AB* ad *BG*, ut  
10000 ad 29, sed tota *ABC* earundem partium  
est 17193, & *AE* reliq; 2807, quarū etiā dimidiē subtēdētū dupla  
*CD*, & *EF* æquales sunt ipsi *BG*. Erūt igit anguli *CAD* scr. VI. & *E*  
*AF* scr. ferè xv. ab eo differētes qui sub *BAG*, illic scrup. dunta-  
xat IIII. hic v. quæ plerunq; contemnuntur ob exiguitatem.  
Erit igitur apparēs deuiatio Veneris in apogæo & perigæo ip-  
sius cōstituta terra, modico maior uel minor scr. x. in quacūq;



parte